



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo V Domus Sapientiae. Sensu Allegorico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## S E R M O V.

## DOMVS SAPIENTIÆ.

*Sensu Allegorico.*

## ARTICULUS I.

## ECCLESIA CHRISTI.



UM vetus Judæorum Templum, Synagoga & Academia repræsentaverint Christi Ecclesiam, sequitur, *Allegoricè*, hanc esse Domum Sapientiæ: quoniam sensu allegorico ea quæ sunt Legis veteris significant ea quæ sunt innovâ. Atque ita sentiunt Auctores isti, gravissimi. S. Ambrosius lib. i. de fide cap. 7. S. Athanasius Orat. v. contra Arianos S. Augustinus lib. xvi. de Civitate, cap. 4. Auctor quæstionum vet. & Novi Testamen, quæstione lxx. ubi *Domus Christi*, inquit, *est Ecclesia*. Anastasius, Nicenus, quæst. xl. in scriptis. Cæsareus Arelatens, homil. vii. de Pascha. S. Gregorius libro xii. Moral. cap. 17. Salonius Viennensis in expositione mystica S. Isidorus lib. viii. Etymol. cap. i. S. Thomas 3. p. q. 32. art. 1. ad 3. & Scripturæ interpretes, Lyranus, Ugo, Salazar. Cornelius. In columnarum significatione non conveniunt. Discrimen designo per numeros.

I. SEPTEM COLUMNÆ significant ECCLESIAS singulas particulares, ex quibus Ecclesia universalis conflatur, & consistit. Ita S. Gregorius lib. xxiii. moral. cap. v. Nam & S. Joannes Evangelista in Apocalypsi cap. i. scribens, ad Ecclesias septem expressit; *Ioannes septem Ec-*

*cle-*



clesii: nempe, Ioannes, inquit Gregorius, septem Ecclesiam scribit, ut unam Catholicam septiformis gratia spiritu plenam signaret. De his autem docet moraliter exponenda illa Jobi xxvi. *Columnæ cali contremiscunt, & pavent aditum eius.* Consentit in Columnarum significatione S. Augustinus. lib. xvii. de Civit. cap. 4. aliam tamen causam Septenarii, quia est symbolum plenitudinis, universalitatis: itaque eo universæ Ecclesiæ est significatione perfecta.

II. Repræsentant Doctores Ecclesiæ. Hi enim hæc fecus, ac Columnæ, Domum, suffulciunt Ecclesiam. Certe, Paulus Apost. ad Galat. secundo, eo sensu Petrum, Petrum, & Joannem vocat Columnas Ecclesiæ. Salustius, cuius hæc est expositio ita scribit: *Columnæ Domus sunt sancti Doctores. Quæ columna bene septem esse dicitur quia sancti Doctores repleti sunt septiformi gratia Spiritus Sancti. Quomodo ergo excidit Sapiencia has Columnas? quia prædicatores ab amore præsentis sæculi, velut à suâ lapidibus paravit, & ad portandam eiusdem Ecclesiæ fabricam erexit.* Idem habet S. Gregorius, moralium xxxv. cap. 16.

III. Designant VII. Spiritus-Sancti Dona, quibus ipse suffulcit Ecclesiam juxta Isaïæ vaticinium cap. xxi. ubi septem Spiritus exprimuntur, quo omnes sunt robore, & robur addunt Ecclesiarum Rectoribus, Pastores, Doctoribus, contra quoslibet adversarios, ipsaque Tartari potentiam: *Porta inferi non prævalebunt.* Ita dicitur Auctor imperfecti operis homil. l. in cap. 24. Mar.

IV. Denotant universitatem Prædicatorum, quod Deus per septem, id est, omnes mundi ætates illi suffulcit. Auctor incertus, qui in Apocalypsim commentatus est, sub nomine Ambrosii & Bedæ: *Sapientia inquit edificavit sibi Domum, quando Dominus noster JESUS CHRISTUS ab initio mundi usque ad finem eius ex numerositate*



rum Ecclesiam sibi construxit & constituit. Excidit columnas septem, Prædicatores, qui singulis temporibus convenirent in Ecclesia sua statuit, qui & monitis salutaribus, & bonorum operum exemplis eam sustentarent.

V. Indicant septem Sacramenta, quibus, tanquam Columnis Ecclesia Christiana fulcitur. Ita auctor catenægræcorum: idemque habet Lyranus.

VI. Exprimunt Apostolos, quibus numerus septenarius accommodatur à S. Augustino, propter fidem trium Divinarum Personarum per quatuor mundi plagas ab ipsis evulgatam. Aliqua ex dictis conjungit Ugo Cardinalis, & addit alia eodem spectantia, sic scribens SAPIENTIA. id est, CHRISTUS, qui est DEI virtus & DEI Sapiencia, I. Corinth. I. *adificavit, sua & suorum operatione & prædicatione, sibi, non alii, Domum, id est, Ecclesiam. Excidit Columnas septem: id est, particulares Ecclesias septiformi gratia illustrans per orbem erexit. Vel septem Columnæ sunt Doctores septiformi gratia rotundati, quos quasi columnas ad portandam Ecclesiæ fabricam Christus excidit, id est, ab amore mundi separavit, de quibus Psalmo LXXIV. Ego confirmavi columnas eius. Quæ etiam dicuntur septem. non tantum propter septiformem gratiam, sed etiam propter ternarii & quaternarii rationem, qui in se etiam ducti duodenarium faciunt, quot fuerunt Apostoli, qui etiam fidem Trinitatis, in quatuor orbis partibus prædicaverunt.*

## ARTICVLVS II.

## DOMVS SAPIENTIÆ.

*Sensu Allegorico & Mystico*

VIRGO DEIPARA. UTERUS MARIANUS.

**H**Æc est communis Patrum antiquorum, & recentiorum Scripturæ interpretum expositio. S. Ignatius episto-

pisto-



pistola ad Philippenses, *Sapientia* inquit, *adificavit sibi Domum, & factus est sicut homo. Deus cum corpore, quod susceptus a Virgine, non ex colloquutione scilicet aut semine viri: Virgo enim ait Isaias cap. VII. in utero concipiet, & pariet filium.* Ubi Hieronymus idem adfirmat. S. Ephiphanius hæretico LXXIII. Pro Verbum Caro factum est, inquit Salomon, *Sapientia edificavit sibi Domum.* Sic Gregorius Nicodemius Orat. de Oblar. B. V. vocat eam *Domum gloriosam DEO sibi edificatam, instructam columnis septem.* Quod eam usurpant, Petrus Damiani, sermone de Nativitate B. & Hildphonsus sermone 3. de Assumpt. S. Bernardus sermone IX. ex parvis, *MARIA Domus est Sapientia a cunctis omnibus virtutibus conspicua, septem Columnis suffulta, id est, septem virtutibus, nempe tribus Theologicis, fide, spe, & caritate ac quattuor Cardinalibus. Prudentia Justitia, Fortitudo Temperantia.* Ugo Cardinalis Proverb. 1. *Domus Sapientia est, Beata Virgo Septem Columnæ sunt septem virtutes, quas educit, tum ex epistola S. Jacobi cap. 3, tum ex salutatione Angelica. Septem Columnas nominat Petrus Damiani serm. cit. septem dona Spiritus-sancti.* S. Bonaventura in laudibus B. V. num. 12. *Domus DEI à vero Salomone constructa est MARIA.* Idem in speculo Mariano cap. VII. illi accommodat, quod est Psal. XCIII. *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Simpliciter, *Domus Dei* dicitur in Jordane pag. 14. cap. 32. Porho Prumiensis Presbyterus (a) in libro singulari de magna Domo Sapientia, allegorice eam interpretatur uterum Marianum, in quo DEUS Homo factus novem habitavit mensibus. Idem eam ei ornatum & dedicationem Templi Salomonici accommodat mystice. Quod dixit Jacob Patriarcha Genes. xxviii, de B. V. mystice pronunciasse censeari potest. *Non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cali.* Quomodo

MA.

(a) Porho scripsit Anno 1152. Tom. XII. Bibliothecæ PP.